



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Præcellentia Episcopalis Dignitatis

Alzedo, Mauricio de

Lugduni, 1630

De matrimonialibus dispensationibus. cap. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62394)

DE MATRIMONIALIBVS DISPENSATIONIBVS.

CAPVT SEPTIMVM.

1 **P**OTEST enim Episcopus in sua Diocesi, quantum (secundum antiquorum sententiam) Pontifex in toto orbe: excipitur tamen quæ ad vniuersum statum ecclesiæ pertinet, vt res fidei diffinire, & quod sibi Romanus Pontifex reseruat; in aliis verò casibus vbi eorum potestas expressè limitata non inuenitur, censetur habere iurisdictionem ordinariam, & potestatem ad dispensandum in quibuscumque casibus cum subditis, & sic quoties in iure inuenitur quòd possit dispensare, intelligendam est de Episcopo. Argumento textus in c. ad honorem, de author. & vsu pallij. Gloss. in c. at si clerici, de iudicij, verbo dispensare. Abbas in c. ex multa, num. 10. de voto & in c. & si vnanimiter, de postulat. Prælator. num. 10. & in c. dilectus, de temporibus ordination. num. 5. & 6. Soto in 4. sentent. dist. 32. quest. vnic. art. 3. tom. 2. Suarez tom. 4. de pœnitent. disput. 25. sect. 1. & de legibus lib. 6. cap. 14. n. 6. Henriquez in summ. lib. 10. cap. 35. §. 2. Brixensis in questionibus Dominicalibus quest. 57. num. 5. Ioannes Montaigne de bigamia, quest. 7. n. 9. Ioannes Randeï de dispensationibus, part. 1. casu 66. Rebuffus in praxi regula de dispensatione ad plura beneficia, num. 27. lib. 2. & in regula de dispens. num. 22. Coninck de sacram. disput. 30. dub. 1. num. 3. Viualdus in candelabr. tit. de irregularitate, n. 316.

Syluester verbo dispensatio, num. 15. Armilla num. 18. Sanchez de matrimon. lib. 1. disput. 61. num. 3. & lib. 8. disput. 9. num. 3. Borgasius de irregul. part. 5. fol. 111. num. 13. Barbosa in pastorali part. 2. allegat. 1. num. 6. & allegat. 33. num. 16. Lancellottus in templo lib. 2. cap. 5. §. 4. num. 12.

4 Sed hodie communis opinio est, non posse episcopum dispensare nisi expressè sibi concedatur in iure. Gloss. in c. cupientes, de elect. in 6. Mandosius in regul. 13. cancellar. quest. 6. num. 6. Marius de censur. tom. 2. disp. 8. cap. 3. ver. sed. Barbosa cum magna Doctorum caterua dict. alleg. 33. n. 18.

5 Non potest Episcopus, aut Legatus, etiam cum causa dispensare contra Concilium. Gloss. in c. cum dilectus 1. & ibi Panormitan. num. 5. verbo in etate, de elect. Abbas in can. dilectus, de temporibus ordinat. num. 3. & in can. super eos, de bigamis, num. 3. Rebuffus in praxi regula de dispens. ad plura beneficia, lib. 2. num. 25. & 28. Roman. singul. 486. Syluester verbo dispensatio, num. 15. Armilla num. 21. Sanchez de matrimon. lib. 2. disput. 4. num. 1. & 2. & lib. 3. disp. 7. num. 1. & lib. 8. disput. 5. num. 5. Montaigne de bigamia quest. 7. num. 13. Selua de beneficiis, part. 4. quest. 7. num. 4. & part. 3. quest. 43. num. 3. Dueñas regul. 248. Gutierrez canonicar. lib. 1. cap. 5. num. 10. Coninck disp. 33. dub. 2. n. 32. Barbosa in remiss. ad Concil. Trid. in pr. sess. 1. num. 2.

At

6 At verò in casu urgentis necessitatis, vtilitatisve nouiter emergentis, poterit episcopus dispensare. Syluester *d. num.* 15. Rebuffus *n.* 31. & 32. Barbosa *num.* 4. Gutierrez *canonicar. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 18. & ibi citat Baldum *in l. omnes populi, n.* 8. ff. *de iustitia & iure.*

7 Sed quia in hoc capitulo præcipuè agendum est de potestate episcopi circa dispensationes & causas matrimoniales, præmittò antiquissimam in Ecclesia consuetudinem circa illud, quòd Episcopus ius diceret, & dispensaret in causis matrimonialibus, constat ex Concilio Agathanensi capite 25. vbi decretum fuit, quòd si qui cum vxoribus decretum facere velint, priùs apud prouinciales episcopos dissidij causas dicant, & ex Concilio Toletano 12. *cap.* 8. & ex Concilio Aurelianensi 3. *cap.* 10. Latè Filescus *de sacra Episcoporum. author. cap.* 1. §. 13 & 12. fol. 26. Iulius Clarus *in praxi criminal. lib.* 5. §. final. *quest.* 37.

8 Aduerte secundò, non posse Episcopum dispensare in cognationis impedimento, ex baptismo quouis tempore collato ortæ, quæ cognatio oritur tam inter Patrimum & Matrinam de baptismo suscipientes, quàm inter baptizatum ipsum illiusque patrem & matrem, neque non inter baptizantem & baptizatum, baptizati patrem & matrem. *cap.* 2. *de reform. sess.* 24. Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *disp.* 62. *num.* 10. & *lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 17. *num.* 3. Barbosa *in pastorali part.* 2. *allegat.* 35. *num.* 7. contra alios.

9 Limita tamen in quatuor casibus aduenientibus his circumstantiis. Primò, si matrimonium fuit contractum inter ignorantes impedimentum: nam cum scientibus,

& spe dispensationis contrahentibus nequit episcopus dispensare. Concil. Trident. *de reform. sess.* 24. *cap.* 5.

Secundò, quando impedimentum esset occultum, & tunc dispensabit Episcopus per text. *in c.* 6. *d. sess.* 24. Tertio, quando verisimiliter timeretur magnum scandalum euenire posse, si diuortium interueniret.

Quartò, quando contrahentes sunt adeò pauperes, vt mittere, seu ire Romam ad summum Pontificem pro dispensatione obtinenda nequeunt. Cæterum potest etiam in omnibus impedimentis matrimonium dirimentibus, in casu magnæ necessitatis adhibitis circumstantiis supradictis. Sanchez *de matrimo. lib.* 8. *disput.* 6. *num.* 20. & *lib.* 2. *disp.* 40. *num.* 3. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *punct.* 5. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 10. §. 1. & *lib.* 11. *cap.* 3. §. 2. Gutierrez *de matrim. cap.* 49. *num.* 6. Syluester *verbo dispensatio* 15. *num.* 19. Nauarrus *in Manuali, cap.* 22. *num.* 85. Conick *de sacram. disp.* 33. *dub.* 3. *num.* 32. Leo *in thesauro, part.* 1. *cap.* 8. *num.* 43. Riccius *decis.* 261. *num.* 1. Vgolinus *de off. Episcopi, part.* 2. *cap.* 60. §. 1. *n.* 1. Zerola *in princ. verbo dispensatio, num.* 5. *part.* 1.

10 Requiritur tamen ad hoc, vt dispensare possit cum contrahentibus in gradu prohibito, quòd bona fide contraxissent, vel saltem alter solus: exemplum erit si maritus consanguineam vxoris antea cognouerat, & ignorabat vxoris consanguineam fuisse, de quo certioratur matrimonio contracto, tunc enim dispensabit Episcopus, si denuntiationes in matrimonio requisitæ per fraudem omissæ non sunt. Soto *in 4. sentent. disp.* 37. *quest. unica.*

art. 2. in fine. Nauarrus in *Manuali*, & Egidius *suprà*. Barbosa *part. 2. allegation. 34. num. 4.* Henriquez *suprà*.

11 Dispensat etiam in impedimentis matrimonium dirimentibus, quando periculum incontinentiæ esset, si expectaretur donec dispensatio veniret; & similiter si ex parte foeminae, quæ cum viri consanguineo ante matrimonij contractum copulata est, petitur dispensatio: nam licet diues sit, timet famam, & fortè vitam amittere, si ad mariti notitiam impedimentum veniat. Sanchez *d. lib. 2. disp. 40. num. 5.* Syluester *verbo dispensatio, num. 15.*

12 Et licet matrimonium nondum contractum sit, potest Episcopus dispensare cum coniuge habente impedimentum dirimens. Pono exemplum in muliere manè nuptura, & etiam sunt omnia ad nuptias parata ferè statim celebrandas, & habet impedimentum dirimens & omnibus mediis tentatis nulla euadendi aperitur via: nam si differre tentasset vehemens alicuius crimen oriretur suspicionis, licet diceret se castitatis voto astrictam, & velle priùs dispensationem Pontificiam obtinere: nam fortè ex hac causa eius fama & opinio periclitaretur, quia dicerent, ob quid rem tantam tamdiu reticuit, essetque suspicio alicuius peccati, & omnes in suspicionem inciderent, quòd idèd nuptias celebrare non permittebat ad dispensationem impetrandam. Sanchez *vbi proxime num. 7.* Barbosa *in pastoralis part. 2. allegat. 35. num. 5.*

13 Dispensat etiam Episcopus in omnibus impedimentis, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & non dirimunt contra-

ctum, si occulta sunt. Soto *in 4. sentent. dist. 32. quæst. vnic. art. 2. col. pen.* Nauarrus *in Manuali cap. 22. n. 85.* Viualdus *in candelabr. titulo de matrimon. part. 1. num. 250.* Vgolinus *de offic. Episcop. part. 2. cap. 60. §. 3. num. 1.* Henriquez *in summ. lib. 12. cap. 2. §. 2. vers. secundo.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. disp. 17. num. 15.* & Bonacina *de sacram. quæst. 3. part. 15. n. 3.* Barbosa *suprà n. 5.*

14 Dispensat etiam cum illis impedimentum dirimens habentibus, quando ad contrahendum dispensatio Pontificia subreptitiè impetrata est: quod si delictum occultum est, & timetur quod si iterum dispensatio Pontificia impetretur, scandalum oriri posset: nam ob euitandum scandalum dispensare poterit Episcopus, & confirmare dispensationem subreptitiè impetratam. et dispensare etiam cum illis, qui virtute talis dispensationis subreptitiè obtentæ, bona fide interueniente, & etiam cum bona fide contraxerunt, si timetur quòd si detegatur, scandalum considerabile oriri posset: tunc enim episcopus debet dissimulare, & in illo matrimonio putatiuo, & inuincibili ignorantia excusato, viuere permittere, & tacitè dispensare. *c. quia circa, de consang. & affinitate.* multos refert Sanchez *dict. lib. 2. disp. 38. n. 12.* Sa *verbo matrimonium, num. 22. & 23.*

15 Solus Papa dispensat in gradibus consanguinitatis & affinitatis, si extenditur vsque ad quartum gradum. *c. non debet cum similibus,* & ibi Scribentes *de consang. & affin. Conc. Trid. de reform. sess. 24. cap. 5.* Leo *in thesauro p. 2. cap. 8. n. 39.*

16 Et etiam Papa solus dispensat in impedimento publicæ honestatis, quod primum gradum non excedit,

dit, & oritur ex sponfalibus validè contractis. *c. iuuenis. c. ad audientiam. c. sponsam de sponfalibus. c. literas. c. accessit. c. continebatur. cum sequentibus, de sponsatione impuber.* Concil. Trident. *de reform. sess. 24. cap. 3.* Leo in thesauro *d. c. 8. num. 40.*

17 Neque dispensat Episcopus cum consanguineis, vel affinis, inter quos fuit copula carnalis, postquam miserunt Romam pro impetranda dispensatione ad contrahendum: nam si antequam Romanus Pontifex dispensasset, vel postquam dispensauit, & ordinatio loci cognitionem commisit, hoc est, ut si ita esset sicut illi expressum, dispensasset, inueniat ordinarius illos copulatos esse: nam donec Papæ copula expressetur, vitatur dispensatio, neque episcopus, vel eius Vicarius possunt iam cum eis dispensare. Gutierrez *canonicar. lib. 1. cap. 15. per totum, præcipuè numero finali.*

18 Non potest Episcopus dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, etiam occultis, & cum circumstantiis de quibus *suprà*, si ad Nuntium Apostolicum patet de facili aditus. Sanchez *dict. lib. 2. disp. 40. num. 8.* Nauarrus in *Manuali cap. 22. num. 65.* Vega *lib. 6. summ. casu 143. in fine.* Barbosa in *pastorali allegat. 35. part. 2. num. 10.* vbi citat Henriquez in *summario* qui contrarium tenet, nempe posse Episcopum dispensare, licet de facili ad Nuntium Apostolicum esset aditus.

19 Nequit etiam dispensare in eis si ad Commissarium Cruciatæ recursus haberi potest, qui facultatem habet dispensandi in impedimentis dirimentibus occultis post contractum matrimonium. Sanchez.

20 Sed hanc conclusionem fallere posse patet ex eo, quod Commissarius Cruciatæ si dispensat post contractum matrimonium in impedimentis occultis, interuenit hæc conditio ut coniux alteri coniugi nullitatem & impedimentum detegat; sed in multis casibus euenire potest, quod valdè inconueniens sit, & periculosum alteri coniugi detegere impedimentum ob vitæ & famæ periculum, præcipuè si est fœmina, quæ impedimentum habet, nam tunc dispensabit Episcopus, non obstante quod Commissarius Cruciatæ prope sit. Sanchez *suprà.*

21 Potest Episcopus dispensare in cognatione spiritali orta inter coniuges post matrimonium contractum, utpote quia filium proprium extra necessitatis casum baptizarunt, vel in baptismo aut confirmatione susceperunt, hæc enim cognatio post matrimonium veniens non dirimit, sed impedit ne debitum exigatur, in quo dispensat Episcopus. Sylvester *verbo matrimon. 8. num. 7.* Armilla *verbo dispensatio, num. 18.* Emanuel Sa *verbo impedimenta dirimentia, n. 23.* Matiença *ad rubricam titul. 1. gloss. 1. num. 143. lib. 5. recopilat.* Nauarrus in *Manuali cap. 16. num. 34. vers. interrogatus autem.* Vgolinus *de officio Episcopi part. 2. cap. 60. §. 2. num. 1.* Sanchez *de matrimon. lib. 8. disput. 12. numero 15.* Barbosa *d. allegat. 35. num. 9.*

22 Et dispensare cum coniuge, cui debiti petitio est prohibita ratione affinitatis contractæ cum altero coniuge, ob copulam habitam cum consanguinea vxoris, vel vxor cum consanguineo viri, licet ad Nuntium pateat aditus. Abbas in *cap. 1. num. 4. de eo qui cognouit consanguini-*

- neam vxor. Soto in 4. sentent. dist. 37. quest. vnic. art. 2. col. 4. Armilla verbo dispens. num. 18. Syluester verbo debitum, num. 11. Emanuel Sa verbo debitum coniugale, num. 13. Sanchez supra num. 10. & Vgolinus num. 2. Ledesma de matrimon. quest. 54. art. 4. dub. 2. Valentia part. 4. disp. 10. q. 5. punct. 5. in fine. Henriquez in summ. lib. 11. cap. 15. num. 11. ante finem. Lopez in l. 13. tit. 2. part. 4. Gutierrez canonicar. lib. 1. cap. 23. num. 15. Barbosa supra num. 12.
- 23 Et cum illo, qui in sacro Ordine constitutus de licentia Papæ matrimonium contraxit, nulla seu falsa causa adiecta pro obtinenda dispensatione, nam debitum petere nequit donec iterum Pontifex consulatur: & tunc si periculum adest incontinentiæ, & recursus ad Papam facillè haberi non potest, vel interim quòd recursus sit, timeatur copula, dispensabit episcopus. Sanchez dict. lib. 8. disput. 8. num. 10.
- 24 Potest etiam dispensare cum minoribus, qui ætatem ad matrimonium contrahendum requisitam nondum adimplerunt, si habent usum rationis, seu malitiam quæ ætatem suppleat. Sanchez de matrimon. lib. 7. disput. 104. num. 12. Henriquez in summ. lib. 11. cap. 13. §. 12. Reginaldus in praxi fori pœnitent. lib. 31. num. 171. vers. notandum est. c. ubi. c. puberes, de sponsatione impuberum. & ibi Scribentes, Emanuel Sa verbo matrimonium, num. 8. & Barbosa supra num. 20.
- 25 In casu quo dubitatur, vtrum dispensatio sit necessaria, vel non, quòd debet peti dispensatio, inquit Sanchez d. lib. 8. disp. 6. num. 18.
- 26 At verò contrarium tenendum est, nam si dubitatur an sit necessaria dispensatio, ad cautelam securius erit si petatur. Emanuel Sa verbo dispensatio, num. 18. Barbosa supra, num. 18.
- Adueniente iusta causa peccat episcopus non dispensando, quæ sit iusta causa suo arbitrio, & conscientiæ relinquatur. Syluester verbo dispensatio 1. num. 3. Emanuel Sa num. 2.
- 28 Potest episcopus dispensare instante iusta causa super tribus denuntiationibus, ante matrimonij celebrationem faciendis, vt omitantur: cap. 1. circa medium, de reformat. sess. 24. Bernard. Matienço in rubric. tit. 1. lib. 5. recopilat. gloss. 1. num. 34. Soto in 4. sentent. dist. 28. quest. vnic. art. 2. col. 3. Coninck de sacrament. disput. 27. dub. 5. num. 53. & dub. 6. num. 54. Petrus de Ledesma in summ. part. 1. de sacrament. matrimon. cap. 6. conc. 7. Henriquez lib. 11. cap. 5. §. 5. in comm. litera S. Leo in thesauro part. 2. cap. 8. num. 56. & cap. 9. num. 52. d. part. 2. Viualdus in candelabro, c. de quibusdam questionibus num. 16. Syluester verbo matrimonium, 6. num. 7. & Emanuel Sa num. 5. & Zerola eodem verbo parte 1. num. 8. Gutierrez canonicar. lib. 1. cap. 19. num. 5. vsque ad 15. Riccius in praxi decis. 258. num. 1. Sanchez lib. 3. disp. 7. num. 3. Vgolinus cap. 60. num. 3. Barbosa part. 2. alleg. 32. num. 27.
- 29 In casu quo Episcopus dispensat super denuntiationibus ante matrimonium faciendis, post contractum matrimonium, fieri debent in diebus festiuis, non ferialibus, vt sacra Congregatio declarauit, nempe, non posse dispensare vt in ferialibus diebus dispensationes fiant: teste Zerola in praxi verbo matrimonium, part. 1. num. 4. Riccius decis. 257. num. 3. Barbosa supra. Gratianus disceptation. capite 83. num. 28.

- 30 Episcopus alterius contrahentis cum ambobus dispensare potest in denuntiationibus. Sanchez de matrimonio d. lib. 3. disput. 7. num. 7. Coninck disp. 27. dub. 6. num. 54. Reginaldus lib. 31. in praxi fori poenitent. num. 232. Gutierrez de matrimonio. cap. 46. num. 10. ad finem. Barbosa alleg. 32. num. 35.
- 31 Si urgente causa non dispensat Episcopus super denuntiationibus grauiter peccat. Sanchez d. lib. 3. disput. 10. num. 6. Gutierrez canonic. lib. 1. cap. 20. num. 23. vers. prater ordinari. & de matrim. cap. 57. num. 4. Barbosa supra n. 51.
- 32 Vicarius generalis Episcopi ex generali commissione quam habet, potest in denuntiationibus dispensare. Viualdus in candelabro cap. 1. de quibusdam questionibus, num. 16. Coninck de sacrament. disput. 27. dub. 6. num. 55. Ledesma & Barbosa num. 29. & 20. Gratianus num. 10. Gutierrez num. 15. Alphonfus à vera Cruce in appendice ad speculum coniugatorum in 1. dub. in 6. propositione. Riccius decis. 259. num. 2. Sanchez d. disp. 7. n. 10. lib. 3.
- 33 Sed Vicarius foraneus non potest absque speciali commissione dispensare. Sanchez num. 11. Riccius num. 4. Gutierrez num. 16.
- 34 Parochus neque instante necessitate, neque etiam si interueniat iusta causa dispensare valet in denuntiationibus. Sanchez num. 17. Aegidius disp. 27. dub. 5. num. 53. Gutierrez num. 2. & 3.
- 35 Episcopus potest tam Vicario generali, quàm parochi, seu alij clerico delegare licentiam dispensandi in denuntiationibus. Sanchez num. 20. Barbosa num. 36. Coninck diput. 27. dub. 6. num. 55. conclus. 3. Reginaldus lib. 31. in praxi num. 235. in princ. Gutierrez de matrimonio cap. 56. num. 13. Cæuallos communis contra comm. alios referens quest. 604. num. 93. & 99.
- 36 Potest etiam committere tam Vicario generali, quàm alij clerico facultatem dispensandi in impedimentis occultis matrimonium dirimentibus, & in reliquis casibus sibi ratione magna necessitatis competentibus. Sanchez lib. 2. disp. 40. num. 17. Barbosa alleg. 35. part. 2. num. 14.
- 37 Nam si Vicario generali speciatim hanc facultatem committat, non poterit dispensare ex generali commissione quam habet, nam ad hoc vt dispense in impedimentis occultis matrimonium dirimentibus, requiritur particularis commissio, seu particularis clausula, quæ in titulo Vicariatus inseratur. Barbosa num. 13. Sanchez num. 12. Riccius resolut. 228. num. 3. Henriquez d. lib. 11. cap. 3. §. 2. in fine.
- 38 Habentes priuilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, etiam matrimonialibus, nequeunt dispensare in casibus non iure ordinario, sed ratione urgentis necessitatis competentibus. Sanchez d. num. 9.
- 39 Episcopus non potest dispensare vt matrimonium celebretur sine Parocho, & testibus, licet iusta causa interueniat. cap. 1. de reformat. sess. 24 Emanuel Sa verbo matrim. num. 1. Sanchez de matrim. d. lib. 3. disp. 17. num. 6.
- 40 Non potest Episcopus dispensare cum parochi triennio suspensio, eo quòd matrimonio clandestino interfuit, quia hæc suspensio non incurritur à iure, sed per sententiam, & sic cum occulta non sit, quia ad forum contentiosum est deducta, non habet episcopus facultatem dispensandi. c. quod inhibetio.

tio. §. vltim. de clandestina dispensat. Sanchez lib. 3. disput. 41. num. 3. & disput. 52. num. 2. Gutierrez canonicar. lib. 1. cap. 5. num. 9. Couartuuias de sponsalibus, part. 2. cap. 6. in princ. num. 14. Bernardus Diaz in practic. cap. 73. n. 3. Marius de censuris tom. 2. disput. 11. de suspensis cap. 5. ante finem. Barbosa in pastorali part. 2. alleg. 32. num. 166. cum sequentibus.

41 Potest Episcopus, vel eius Vicarius generalis absoluere à suspensione imposita in Concilio Tridentino ipso iure, si est occulta: vt pote cum parochio, aut alio clerico, qui alienos parochianos sine proprij parochi licentia coniunxit, & desponsauit. Episcopus verò qui absolaturus est, debet esse ordinarius illius parochi, cuius erat tale matrimonium celebrare. c. 1. de reformat. sess. 14. Sanchez lib. 3. disp. 42. num. 4.

42 Potest Episcopus ex magna causa concedere, vt tempore prohibito, vt est Aduentus, vel Quadagesima, nuptiæ celebrentur: sed celebratio matrimonij, si commodè potest fieri, debet esse secretò, & sine populi frequentia. Soto in 4. dist. 32. quest. vnic. art. 3. in fine. Emanuel Sa verbo matrimony impedimenta non dirimentia, num. 12. in fine. Sanchez lib. 7. disp. 7. num. 6.

43 Non potest Episcopus constitutiones facere matrimonia dirimentia continentes. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 1. n. 9. Egidius Coninck disp. 30. dub. 3.

44 Neque potest dispensare, vt Equites ordinis sancti Mauricij, Patris mei, cuius nomen immeritissimè porto, & Milites Diui Lazari cum secunda coniuge, vel primò cum vidua contrahant; nam cum vnica & virgine contrahere tantùm permittitur. Leo in thesauro part. 2. cap. 8. num. 35.

S V M M A R I V M.

Episcopus tantum potest in sua Diœcesi circa dispensationem votorum, quantum Pontifex in toto orbe, nonnullis exceptis. num. 1.

In quibus votis dispenset Episcopus. num. 2.

An dispenset in votis solemnibus per modum pœnæ emissis. num. 3. & 4.

An dispenset in votis conditionalibus, ante aduentum conditionis. num. 5. & 6.

An cum eo, qui vouit intrare religionem vt laxiorem ingrediat. num. 7.

Et cum professo minore 25. annorum, vt ad religionem laxiorem transire valeat. num. 8.

An cum eo, qui Presbyteralem Ordinem suscipere vouit. vt uxorem ducere possit. num. 9.

An cum eo, qui votum emisit de non nubendo, & quid si fuit factum in Dei fauorem. num. 10.

Vtrum cum eo, qui vciuit numquam tangere mulierem libidinose. num. 11.

Et vtrum cum vouente virginitatem seruare. num. 12.

Vtrum dispenset in voto castitatis perpetuae. num. 13.

An in voto castitatis ad tempus. num. 14.

Votum castitatis ad centum annos an dicatur perpetuum. num. 15.

Hominiis vita ex iuris presumptione

- ne vsquequò duret num. 16.
In voto religionis etiam temporali
an dispense. num. 17.
An in voto disunctiuo. num. 18.
& num. 19.
An dispense in votis pœnalis
post peccatum commissum.
num. 20.
An cum muliere dispensare valeat,
quæ vouit assumere habitum de
Beata. num. 21.
An cum vouente intrare religio-
nem Diui Iacobi Alcantaræ, aut
Calatravæ. num. 22.
An cum vouente intrare religio-
nem Diui Ioannis. num. 23.
An cum coniuge vouente non pe-
tere debitum coniugale. nu-
mero 24.
An cum coniuge, qui de alterius
consensu continentiam vouit.
num. 25 & 26.
An cum eo, qui post votum simplex
contraxit, ut debitum petere
possit. num. 27.
An cum vouente in fauorem ter-
tij. num. 28.
An cum eo, qui se non transiturum
ad alias nuptias post eius mor-
tem iurauit. num. 29.
An cum vouente ire ad sanctum
Iacobum, vel ad Hierosolymam.
num. 30.
An dispense in voto Hierosolymi-
tano, factò causa deuotionis, vel
subsidiij. num. 31. vsque ad
33.
Authoris opinio contra Barbosam,
& alios. num. 33.
Vtilius erit si Episcopus commutet
vota eundi Hierosolymam, &
applicet quæ consumpturus erat
vouens in itinere, illis sacris lo-
cis, & sanctissimis Religiosis
Franciscanis, qui ibi viuunt ut
Apostolici viri, ac Christi mar-
tyres. num. 34.
An dispense cum vouente non ac-
ceptare præbendam. num. 35.
An dispense in ieiuniis, & com-
mutare queat vota perpetuò ie-
iunandi in Sabbato & similia.
num. 36.
Vicarius Episcopi ex generali com-
missione an dispense in votis,
seu iuramentis. num. 37.
An dispense cum Monialibus in
voto clausuræ, ad hoc ut mona-
sterij claustra exire valeant.
num. 38.
In quibus casibus Moniales possint
exire monasteria. num. 39.
A quibus approbari debet licentia
excundi. num. 40.
An visitare monasteria Monia-
lium possit Episcopus causa re-
parandi clausuram. num. 41.
Intrare monasteria Monialium an
possit Episcopus extra causam
urgentem. num. 42.
An excommunicare possit acceden-
tes ad monasteria Monialium
exemptarum, si scandalum ge-
neratur, & c. tali communicatio-
ne. num. 43.
Moniales, seu Religiosi an possint
renunciare sine licentia Episco-
pi. num. 44.
Religiosi Societatis Iesu an ad id
teneantur. num. 45.